

HORATIVS ANTONIVS BOLOGNA

TVLLIVS DE MATRIMONI AERVVNIS DIALOGVS

Tibi saepenumero quaerenti, mi Tulli, quid vel de matrimonio, quid de coniugio sentirem, nihil umquam, ut rogabas, nec dixi nec scripsi. Grave autem rerum pondus, hac tempestate maximi momenti, diu me terruit mihique impedimento fuit, quominus quod ipse in praecordiis reapse volutarem aperte patefacerem: timebam enim, ne animus tuus, angustiis labefactans, maeroribus contristatus, maleficis motus exemplis, mulieres despiceret, nuptias sperneret, coniugium vitaret. Sed ubi cognovi te longa militia virum fortem ac duratum factum, non quae sentiam ipse, sed quae sint aliquot probati viri experti, sum quamvis sero conscripturus. Exeunte mense Ianuario sub vesperum, ut soleo, in popinam contendi, ubi amici expectabant. Ibi mensibus hibernis frigus pellimus, horas terimus, vinum ad multum noctem sumimus. In poculis facetias narramus, in puellas ad animos laetandos, ad corporis voluptates excitandas oculos vertimus. Hoc turpi loco plerique vino complentur, nonnullos puellae spe deliciarum decipiunt nummisque exspoliant, quidam praesentibus mirantibus et faventibus patrimonia ponunt. Tu, mi Tulli, prudens ac providens adulescens, cauponam vita, quae numquam adventores honestam vitam docuit, pessima muliere multo peior est. Ideo vestigia mea, cuius me vehementer pudet, sequi noli. Hic ebrii de malis, de aerumnis, de uxoribus queruntur. Ceterum ut mulier, cui nullum praesto sit argumentum, haud invita de mariti vitiis, de coniugii incommodis, de matrimonii difficultatibus agit, ita homo, si forte sit aliquod iurgium passus, de uxore queritur, matrimonium spernit, coniugium vituperat. Eadem, sed alius alio quodam modo dicit. Et ipse sum haud raro, amicis audientibus, sum de uxore, de aerumnis, de iniuriis, de difficultatibus, de coniugii malis questus. Ita est, mi Tulli: nullus fere est vir, qui uxore, liberis, coniugio contentus vivat: nam tempus adversique vitae casus omnia, contubernium quoque et matrimonium terunt. Nonnullis enim post annis, quibus quadam cum felicitate aut honestate vitam cum liberis, cum uxore eiusque necessariis vitam duxit, maritus vel libertatem amissam vel tranquillitatem minutam desiderat; neuter plerumque est amplius altero contentus. Quid de matrimonio, quid de coniugio, quid de uxore, quid sim de liberis expertus ipse, cum haec te minime iuvent, praeterire malim. Ideo noli, quaeso, mihi irasci: quae mala me, non alium tangunt et in dies ob pravam cuiusque indolem graviora fiunt. Nam aegritudo et molestia, quibus nihil acerbius mihi

fatum dedit, animum conficiunt, corporis vires exedunt. Tanto ac tam gravi morbo consumptus, debilior fio, me ob uxoris morositatem natorumque difficultates in dies mori conspicio, sed nihil prorsus facio, ut resurgam, vitae iucunditatem reciperem, me mihi vindicem. Me ad fortunae iniurias adversique fati expositum video, nec repugno. Nam cum miser sim et infelix, animum tuum contristare nolim, quia mihi, quod nescis, immo penitus ignoras, adversum semper et crudele fuit fatum. Hic vero, ne te taedio afficiam neu longius inani verborum volubilitate ducam, quid amici de matrimonio sentiant ac de coniugio, nullo interiecto tempore singillatim refero. Ideo, mi Tulli, cum probi viri sint et optimis rebus imbuti, te hortor, ut quae dicant, audias; quae crimentur, vites; quae contra laudibus extollant, accipias et custodias. Cum autem te ad firmitatem, ad constantiam, ad honestatem excitem, moneo, ut ab iis prudenter disputata nec non multa breviter et commode dicta memoriae mandes fierique studeas eorum prudentia peritus. Si adulescens in tam prudentes et humanos senes incidissem ipse, nec deceptus nec essem in tantos errores delapsus. Cum autem hi viri me tristem et in aegritudine labantem vidissent, multa praecipuaque me docere non dubitarunt. Ideo quae sunt ab iis nonnullos abhinc menses disputata eademque adhuc memoria teneo, quoad possim et memoria faveat, singillatim expono.

VINICIVS. Recte dixisti matrimonium, cum potissimum homini sit coeptum atque institutum, omnibus esse maximi momenti ducendum. Ideo obiurgatione digni sunt parentes, qui liberos hortantur, ut vinculo coniugali contracto quam primum domo exeant, unusquisque sibi provideat, familiam constituat. Quibus de causis adulescens puellam, quam sibi aptam et amare putet, falsa spe falsaque amoris specie deceptus, domum uxorem ducit.

LVCIVS. Illi tantum obiurgandi sunt parentes, qui in liberos, non amore sed voluptate genitos, cum alienos ducant et molestos, nullum officium, nullum studium, nullum beneficium ostendunt ac testificantur, sed natos paenis, aerumnis et odio cogunt, quo citius domo profugiant. Qua re iuvenis, cum sit ad tantum inceptum ineundum nondum idoneus et paratus seque hoc modo putet parentum iniurias poenas aerumnas vitare, invitus et inscius matrimonium contrahit.

FABIVS. Maiore quidem obiurgatione digni sunt mulieris parentes, qui filiam, ubi natura sit ad coeundum ac generandum idonea, quam primum nubere, domum relinquere, in mariti custodiam ardenter transire cupiunt. Dicunt enim, et pro certo habent, mulierem vino similem esse; quod, si diutius domi maneat, acescere. Ideo filiam a prima pueritia continuo monent atque hortantur, ut animum ad matrimonium vertat. Timent ne ex aliquo gravidetur.

VINICIVS. Ita non est, mi Fabi. Omnes fere mulierum parentes, ad suspiciones proni, filiabus diffidunt; timent ne filiae, praegnatione vitata,

meretricis nomine per hominum ora volitent. Quod familiae, necessariis, amicis quoque maximum est dedecus. Ideo parentes puellas cogunt, ut in mulieribus vitam degant, cum puellis ludant, cum avia domi maneant. Praeter patres et fratres omnes homines, cum perfidi improbique sint, sunt puellis vitandi.

FABIVS. Quae quidem puella ob nimiam animi simplicitatem facilis fit hominis cupidi ac violentis praeda; omnia, falsa quoque, credit. Callidus homo credulum puellae animum facilius deceptit, ut brevi, parentum mulierumque custodia decepta, ad hominem contendat, statim se libidinibus dedet, illis fruatur statim voluptatibus, quae fabulosa videntur.

VINICIVS. Quod perito homini nihil est negotii. Ceteris trophaeis illam quoque puellam, quae vulgo difficilis habetur, gloriabundus addit.

LVCIVS. Polluta tamen ac decepta manet virgo.

FABIVS. Dum gaudet atque amata videtur, nec deceptam nec pollutam se puella ducit. De hoc alias, nunc vero ad familiam revertamus oportet. Omnium pessimae sunt matres, quae praeter aerumnas et dolores filias docent, quomodo maritorum animos excruciant, curas in dies ministrent, aerumnas augeant. Quae sibi filias ita devinciunt, ut primum patres tum maritos acri afficiant odio.

VINICIVS. Utinam me de tam gravibus incommodis monuisset ac tantas aerumnas docuisset amicus! Pessima illa mulier, quam uxorem domum duxi, paucos dies post quam erat matrimonium celebratum, primum me, tum coniugium triste ae aerumnosum fecit. Iisdem in aedibus, mi Luci, cum acerrimo tyranno infelicem vitam dego. Nihilominus tyrannum amo, etsi maior vitae pars peior in dies fit. Tempore autem praeter spem dulcis ipsa fit servitus et animus servituti doloribus aerumnis assuefacit. Leo quoque, ferocissimum animal, qui venatoribus est gloriae, in arenis gladiatoribus hosti ac minis, plebi vocitanti delectationi et voluptati, haud raro commodiorem vitam in captivitate ducit, quamvis naturam ferocem usque ad extremum spiritum servet. Ferox enim animal, libertatem cupiens, saeptis oberrat, sudes evellere, rimas laxare conatur; rugit, unguis terram fodit, dentibus frendit. Infelix vero se cum libertate indolem quoque ferocem amisisse nescit. Matrimonium, mi Tulli, ab homine prudenti est olim castro obsesso simile factum: nam obsessus exire, ingredi oppugnator cupit. Bello confecto, cum aliquod uter amiserit, quis tamen felix sit, haud facile dicas.

LVCIVS. Benevolus es, optime Fabi. Te fortasse fugit mendacii, fraudis, doli singularem magistram omnibusque praestantem esse socrum; quam primis contubernii mensibus, ut generi animum et benevolentiam captet sibi quoque devinciatur, humilem, humanam, maternam quoque se praebere; eandemque interea non unam, non centum, non mille sed omnes terrarum viperas in pectore servare; mulierem istam perpauca post mensibus, cum

generum obligatum teneat sibi que devinctum putet, crudelissimam esse dominam, saevum se et inhumanum tyrannum praebere. Domum enim ingressa mors tantum expellit.

VINICIVS. Scimus profecto filiae nihil esse matre carius, nihil matre potius, nihil matre dulcius. Quae, cum enim dicit se captam amore mariti, se reapse matri devinctam pietate tacet. Ubi autem, matre docente, maritum nauci ducit, quo sibi nihil carius esse simulat. Ex matris ore pendet, matris iussibus et praeceptis rite religioseque obtemperat, matris cupiditatibus et impotentiae satisfacit. Gener quoque, si uxorem secum cupiat, ad socrus nutum vivere et agere necessitate cogitur. Ipsa non filia domus est domina, curatrix, dispensatrix, ut illa nolente nihil domi mutetur, nihil moveatur.

LVCIVS. Si quem in locum est contendendum, socrus in curru potissimum obtinet locum, maximo semper obsequio et veneratione afficitur, ut prima ingrediatur et, itinere confecto, generi auxilio ultima egrediatur. Contenditur quo socrus cupit, imperat, postulat. In itinere, ut domi, omnes honores quasi debitos insolenter repetit. Si cuius antiquae civitatis ruinas, quod museum, quam bibliothecam maritus visere cupiat, socrus, eruditionis expers rerumque inscia atque imperita, fronte contracta naribusque corrugatis, filiam iubet, ne ruinis et ineptiis tempus teratur: nihil sibi vetera illa prodesse; se contra armaria vitrea, in quibus vestes et bacata monilia exponantur, videre malle. Generi optatum ante quam sit verbis expressum reicitur, damnatur, irridetur, socrus contra pervicacia et impotentia dicto citius satisfiunt. Socrus insuper, ne succenseat, est genero ut sanctorum reliquiae recolenda.

VINICIVS. Filia, matre oculis impudentibus et iucundis intuente, maritum haud servo dissimilem putat. Immo utraque servum habent, nullius momenti hominem faciunt. Hoc unum utraque praedicant: se ad imperandum, ad docendum, ad reverentiam recipiendam natas.

LVCIVS. Vae homini, qui servitium vitare vel libertatem recipere audeat aut cupiat! Socrus indignatur, irascitur, succenset, flere simulat, in cubiculum irata recedit. Quo viso, filia lacrimat, excandescit, furit; matris incommoda memorat, beneficia laudat, auxilium extollit. Si forte quid nummum donet, ut Deum veneratur ipsum, uxor maritum cogit, ut ad matris pedes proiectus ob tantum munus, ob animum tam generosum plurimas ac maximas gratias iterum atque iterum agat.

FABIVS. Quid de donis?

VINICIVS. Hic, mi Fabi, ne dolorem renovemus, dona praetermittamus oportet, longior esset sermo et in multam noctem dialogum producemus. ideo ad coniugii incommoda revertendum videtur.

LVCIVS. Optime dicis, sed de donis hic aliquid memorandum est, si reapse comprehendere volumus, quid muliercula illa facere possit. Socrus est natura avara, maligna, prava. Si forte eveniat, ut filiae aut nepotibus aut genero

munusculum, idemque nullius ponderis, donet, socrus est statim collaudanda, donum magnificandum, necessariis et amicis elate ostendendum: nullum, ne regale quidem munus, tam generosum, tam pretiosum, tam necopinatum fuisse.

FABIVS. Si contra quod munus mariti mater donet, quomodo putatur, quo in honore, quo in numero mulier est, qua gratia valet?

LVCIVS. Quod, amici, sum ipse haud raro expertus, quoniam mihi cum generosa tum dives mater est, quae persaepe vel nepotes vel nurum vel me pretioso donet monili. Omnia pro nihilo habet uxor, quae, matre hortante et favente, dona despicit, spernit. Haud raro donum insolenter recusat: “Mihi iam est, idemque multo pulchrius multoque pretiosius, quia mihi matercula dedit. Posthac cum longe mihi alia sit mens, aliud iudicium, noli, quaeso, ullum amplius emere munus, quia nos, matercula opitulante, minime his indigemus ineptiis. Quod nobis matercula suppeditat satis est, et super”.

VINICIVS. Quid maritus, quibus auditis, dicit?

FABIUS. Maritus, sapiens et prudens vir, ob tranquillitatem, ob familiae concordiam et compositionem, quamvis invitus, omnia silentio ac patienter tolerat. Quam quidem tolerantiam, quod silentium uxor et socrus imbecillitatis signum ducunt. Si maritus, ut decet, in socrum urbanum, officiosum, humanum se praebet, remissum ducitur et imbecillus, tenuis atque infirmus putatur, immo obtusus et tardus contemnitur ac despicitur. Ipse vero, bonis parentum iussibus et praeceptis obtemperans, ut scitis, erga socrum, quamvis invitus, semper benignus, humanus, officiosus, urbanus fui. Socrus contra semper me tam stultum et imbecillum habuit, ut quondam, putans me absentem, affini cuidam nullam mihi domi potestatem esse dixit. “Homunculus ille, inquit, uxori subactus, tam infirmus, tam imbecillis est, ut filiae meae iniussu ne latrinam quidem tergat, matulam purget. Servuum illum, me iubente, uxor domo eiciet, si tantum oculos humo allevet”.

LVCIVS. Nonne isti pessimae mulerculae succensuisti? Nonne es merito iratus? Quid uxor de his matris verbis dixit, quid sensit?

FABIVS. Cum autem matris contumeliosa et probrosa rettulissem verba, lacrimarum vim longosque singultos statim effusit uxor, quae, alieno animo, superciliis fronteque contracta, irata dixit: “Malevolus in materculam meam semper fuisti! Nullam unquam occasionem praetermisisti, quin in tam dulcem et benignam materculam malignum et infestum ostenderes animum! Quam multi iuvenes materculam meam, quae tibi, genero nequam, omnia dedit, socrum habere velint, miser nescis, infelix ignoras! Quam multos nummos tibi, cum domum emere velles alienoque aere laborares, haud invita suppeditavit! Te pudeat, homuncule nequam! Ipsa contra optimo me viro nupsisse credidi!”.

VINICIVS. Tu profecto, silentium tenens, irarum conviciorumque finem exspectabas.

LVCIVS. Mulier irata haud Furiis dissimilis fit, si modo putet maritum in matrem et necessarios hostilem animum ostendere. Tu contra, furia illa loquente, quid opposuisti? Quomodo refellisti? Nonne pari dicto respondisti?

FABIVS. Me negante falsa dixisse et malignum umquam animum in materculam ostendisse, me insuper iurante numquam mihi in matrem infestum animum fuisse, uxor, ira incensa: “Si tantum, inquit, cogitare audeas materculam meam in te contumeliosam fuisse vel probra dixisse verba, pessimus et miserrimus homunculus es! Hoc tamen scito et memoria tene: materculam meam, qua nulla alia in universo terrarum orbe honestior, melior, dulcior, humanior, te maxima colere reverentia, ipsam numquam in te probrosum dixisse verbum; materculam meam, quamvis parentes tui aliter sentiant ac putent, semper humanam et gratiosam fuisse; innumeros iuvenes, qui me et sororem uxores ducere cuperent, ob facilitatem ac liberalitatem materculam veneratos, materculam adoravisse, ut materculam appellarent ipsi; te contra pessimos parentum tuorum mores secutum, quamvis sis doctoris gradum adeptum, rudem tamen, incultum, rusticum mansisse. Rusticitate, inurbanitate, feritate tua mota, immo pietate ducta, ad animum tuum molliendum, ad humaniorem te faciendum, matre nolente, domum tuam contendere. Quod ingens me suasit amor”.

LVCIVS. Tam multis et molestis iniuriis auditis, nonne uxorem et materculam domo depulisti? Nonne alapis superbae atque insolenti uxori silentium induxisti? Nonne socrum iussisti, ne domum tuam amplius ventitaret?

FABIVS. Violens non sum; nemini, ne cani quidem feroci, vim affero, ne animum contristem, indolem corrumpam. Probra tamen sum refellere conatus. Uxor contra, uberius flens, ad matrem accurrit quaesivitque num in me umquam maledica fuisset, num probra in me inscia dixisset. Pessima illa muliercula, omnibus criminationibus denegatis, his filiam est verbis solata: “Te, filia, frustra sum de homunculo isto certiolem facere conata: pessimum homunculum istum esse, semper in me infesto fuisse animo. Quod pessimo homini nubere voluisti, haec quoque iurgia sunt tibi mihi que maxime toleranda. Utinam Mario nupsisses! Quibus de causis tam rudem et rusticum hominem in domum nostram, quam omnes huius civitatis incolae urbanitate et comitate plurimi faciunt, ducere volueris, mecum ipsa frustra quaero. Si maritus tuus, haec per matris ossa iuro, iterum in me criminosa dicat, immo cogitare audeat verba, domum meam peto, nullo auxilio ero tibi, hanc domum relinquam, nummis rebusque familiaribus pauperes donabo! Si maritus tuus, homunculus ille, a me veniam, genu flexus a me dictorum factorumque

gratiam petat ac deprecetur, domum redeo, ibique sola maneo. Posthac, filia nequam, noli me matrem tuam amplius vel putare vel appellare”.

VINICIVS. Num socrus, iram simulans et fastidium, domum tuam reliquit? Comperi domum tuam numquam esse ab illa muliercula desertam.

LVCIVS. Socrus verbis auditis, te profecto curarum expertem putabas, te tanto incommodo cito liberaturum sperabas. Tu quoque in tantam fraudem es misere delapsus!

VINICIVS. Socrus, ni fallor, in secundis et adversis rebus optima est actrix, inexuperabilis mima. Nonne matercula fictis lacrimis gemitibusque simulatis tuum filiaeque cor mollivit? Te quoque mulierculae illius lacrimae sedaverunt.

MARCVS. Antehac, vos miratus audiens, tacerem oportuit. Mihi quoque pessimam uxorem contigit, fata longe pessimam dederunt socrum. Quae utraque, ex agris deductae, ubi miserrimam vitam agebant, fame cruciabantur, ne prima quidem elementa didicerunt, ut domum meam pervenerunt, consilia et mores mutaverunt, se nobiles, eruditas, sapientes ostentare ceperunt, continuo se doctrina atque eruditione praepollere iactabant.

LVCIVS. In te, in parentes, in necessarios tuos, in amicos quem animum ostenderunt? Quem in necessariis tuis opinione dignum habent? Quem invenerint, qui tanto honore dignetur? Tam multis ac gravibus maeroribus obrutus, cur omnibus felix videris?

MARCVS. Quamvis animus maerore luctuque refugiat, paucis absolvere conor. Me semper laetum felicemque ostendo, ne quis excruciet, quaeritans quibus de causis animi corporisque morbis laborem. Nam gaudium et hilaritatem exhibens, uxor et socrus sunt livore, invidia, odio captae, ut stomacho rumpantur. Utraque succenset, ira excandescit, sed mea minime interest. Aliquot abhinc dies socrus, cum me canentem audiret, est tanta ira correpta, ut paene vitam amitteret. Utinam periisset! sed adversum fatum, quo diutius me infelicem faceret, ex inferis eduxit. Ne Lucifer quidem in inferis tam pessimam mulierem accipere voluit.

VINICIVS. Fama fuit socrum in parentes tuos nec benevolam nec humanam fuisse. Non dubito, quin sit verbis et dolis, artibus et fallaciis conata, ut parentes amoveres, minoris duceres, odio quoque afficeres. Nisi illam caveas mulierculam, tempore parentes, qui te in rebus adversis aluerunt, doctum peritumque fecerunt, minoris habes, ut sensim amoveas.

MARCVS. Amicos, ehu me miserum!, una cum propinquis omnes tranquillitatis causa sensim sum amovere coactus. Ex propinquis meis vero, illos unos in quandam amicitiam et familiaritatem accipiunt, quorum uxores de maritis eorumque parentibus eadem fere sentiant. Parentes, qui incommodis et iacturis me machinatores fecerunt, uxor nec visit nec domi accipit. Si ad eos visendos liberisque laetandos forte contendere velim,

stomachatur, statim excusatur capite laborare, somnium tota nocte capere non potuisse, omnibus materculam ad amicam comitandam. Si quis forte nuntiaret parentes, tecto collapse, periisse, magno esset gaudio affecta.

VINICIVS. Ineptias narras, ineptias, rerum dulcissime, toleravisti: nam uxor et socrus mea in parentes, qui ut humiles sunt agricolae ita in hospites liberales, longe peiores ostenderunt animos; ita iniuriis affecerunt, ut in epulis, quae diebus festis apparari solent, famam laeserint, dignitatem labefactaverint, interitum quaesierint.

MARCVS. De postremis his malis, cur nos nondum certiores fecisti?

VINICIVS. Nulla occasione data, quomodo de tam tristibus atque aerumnosis casibus vobiscum loqui potuerim? Quae quidem memorans, ob iram a lacrimis vix temperare possum. Si qua lacrima ex oculis labitur, me excusatum habete. Duobus abhinc annis, ut scitis, e longinquo pago domum uxorem duxi. Pater laetus fuit, mater exsultavit, aegre prae lacrimis quanto esset gaudio affecta patefacere potuit. Sed pater, ut uxorem et socrum primum vidit, se abstinere non potuit, quin me seorsum monuisset, ut utramque caverem. Me verba refutante, quid sentiret libere aperuit: “Admodum iuvenis es, ait, fili mi. Illae mulieres, ni te fortem statim ostendas virum acriterque pugnes, servum facient, in pessimam servitutem reducent. Socrus tua, ferox et superba muliercula, aegre nos salutavit, prae se gravitatem tulit; tam insolens fuit, ut simularet se agricolarum labores et iacturas penitus ignorare; quam et qualem dignitatem ostentavit. Panem contempsit, pro nihilo duxit vinum; matrem sellam comparantem est despiciere ausa! Illa muliercula, quam tu quoque materculam vocabis, animi excellentiam, ingenuitatem et honestatem ignorat. Iactavit se nobili genere natam, optimis rebus imbutam, mihi contra infimo loco orta, nulla praedita doctrina, fame laboravisse, tugurium habitavisse vel tabernam, divitum serva fuisse videtur. Quae mulier te, fili mi, inanibus promissis decipiet, vana spe fallit. Matrimonio celebrato, quae et qualis futura socrus tua sit, sero comperies ipse. Optandum est ut errem”. Qua experientia fuit, vera dixit; sed irrita est sera paenitentia.

LVCIVS. Quibus auditis, quid patri respondisti?

VINICIVS. Cetera audiatis, precor. Illa tempestate, cum socrus indolem et animum nondum expertus essem, primum tacui, tum sum mulierem illam timide defendere atque excusare conatus. Sed pater brevi vera percepit. Utinam essem eius praecepta secutus! Cetera quae et qualis socrus mihi contingerit patefaciunt. Mense Ianuario, agricolarum more, pater quoque, ut perna, carne suilla, lucanica et succidia totum annum abundaret, suem saginatum necavit. Ille dies sollemnis habetur, familiae gaudii ac prosperitatis partem habent propinqui et amici, qui ad sumptuosissimam cenam invitantur. Illa tempestate, si quid iurgii inter propinquos et amicos fuerit, invitatione accepta, iterum concordia floret, renovatur amicitia. Cena, cum omnes iisdem

vescantur cibus idemque vinum bibant, haec in posterum sancit. Inter cenam omnes, calicibus vino repletis, familiae sibique salutem, felicitatem et concordiam propinant. Qua quidem occasione mulieres quoque, quae vinum fastidiunt, libantibus haud invitae sociantur. Inter suis sacrificium quidam hilaritatem excitant, ceteri laetitia gestiunt, se iucunditati dant.

MARCVS. Patrum mores secuti, haud dissimiles mores nos quoque colimus eosdemque, quo diutius maneant, liberis nostris tradimus. Nonne pater, quamvis stomachosus et invitus, ad cenam socrum tuam invitavit?

VINICIVS. Libentissimo animo pater, spe fore ut socrus benevolentio-rem mentem ostenderet, non solum ipsam, sed filium etiam et nepotem ad cenam invitavit. Quos cum vidisset, valde laetatus est pater, qui facultatem dedit, ut ad libitum domum adhiberent: hospites apud se sacros esse ac dominos. Ex uxore quaesivit cur alteram filiam ceterosque nepotes socrus secum non duxisset: domi tantum ciborum esse, ut famem ex ingenti pelleret exercitu. Obsequii et hospitii causa ad mensam in matris loco socrum posuit. Quod apud agricolas, ut scitis, maximus putatur honor. Ubi mater gustatorium perna et oleribus confertum apposuit, quaenam essent cibaria illa fastidiosa quaesivit socrus. Dicente matre se suis ipsius manibus olera coluisse et in oleo condidisse, gustatorium repellens, dixit se nihil, quod sit sordidis agricolae manibus parata, gustare velle: se impransam quam aegram abire malle. “Puto vos, ait, accuratos fortasse fuisse, sed loca, in quibus haec comparavistis, salubria non sunt. Ceterum uxoris tuae manus, coeno oblitae, nigrae sunt. Ideo per hoc virus mori nolo”. Pater, omnibus tacentibus et mirantibus, iram coarctavit; mater contra, contumeliae ignoscens lacrimamque celans, alia, ut socrus ederet, proposuit. Omnia, ut parentes convivis spectantibus iniuria afficeret, iterum fastidiosa recusavit. Edentibus omnibus, filium et nepotem iussit nullum edere cibum, si incolumes reverti velint. Ad convivas conversa, “Vos, inquit, rudes rerumque inscii agricolae, quod et quale virus olera haec contineant, penitus ignoratis. Agricolae aqua non utuntur et manibus sordidis cibos in vasis maculosis condunt. Oleum insuper, ut semel vidi, in foedo trapeto comparatur, ubi asini et muli escrementa deponunt. Quo nullum alium sordidiorem locum vidi. Ideo ipsa, ut nobilis me docuit mater, apud agricolas nullum cibum sumo. Agricolarum mulieres cibum manibus nigris tractant. Quarum manus, ut conspicio, squalore nigrescunt. Si natas meas corporibus fuscari cupio, ad mare duco ipsa, ubi nobiles mulieres ad corporis pulchritudinem adipiscendam aestate contendunt. Quotannis et ipsa mense Augusto in pulcherrimum quemque locum maritimum contendo”. Convivae mirabundi socrum intuebantur. Pater contra “Cibus istis, ait, nos robusti crevimus et sani. Iisdem quidem cibus liberi nostri, quos vicinae urbis puellae raptum veniunt, sani ac robusti creverunt. Nullum umquam filium oleribus istis necavimus, quia praeter munditiam et aquam mulieres nostrae maximam

adhibent curam. Utinam mulieres illae, quae mundas se iactant esse atque expolitae, aquam reapse adhiberent! Mulieres nobiles, ut corporibus nigrescant, mare petunt, corpora nudata ostendunt, ut ineptum alliciant iuvenem; nostrae contra, olera colunt, terram pastinis vertunt, in agris nobiscum nigrescunt. Quo inferiores ab insanis ducuntur, eo cariores nobis sunt”. Perna et quibusdam oleribus consumptis, admodum convivorum senex surrexit et, silentio facto caliceque sublato, “Tibi, Aemili, ait, tibi, Iulia, vestrisque liberis salutem propinamus. Vos prosequimur votis, ut felicitas, concordia rerumque copia domum hanc laetificent”. Vino degustato, ex patre quaesivit ubinam tam bonum exquisitumque vinum servaverit, undenam comparaverit. Pater “Vinum hoc, ait, pedibus meis feci. Uvam manibus nigris collegi, meis ipsius pedibus pinsi”. Senex, “Aqua carente, ait, puto te ad flumen saltem pedes abluisse”. “Non aqua, sed vino, ut apud nos est mos, pedes et corpus ablui”. Quae socrus ut audivit, vultum contrahens, stomachosa poculum e labellis demovit. Pater insuper “Vinum hoc, ait, ad hunc diem servavi, ut vobiscum duobus de causis propinem: primum suem nullo iurgio mactavimus, tum filium celebrare et honorare cupio, qui mense iunio est doctoris gradum adeptus. Illa tempestate, cum messes demetendae et frumenta colligenda essent, in alium diem propinationem et cenam distuli”. Nullo temporis spatio interiecto, socrus “Hunc morem, ait, agricolae tantum adhuc servant, quia filiorum honores messibus minoris ducunt. Ipsa contra, nobiles viris comitantibus, nobilium mores secuta, natos meos maximis honoribus affeci, monilibus aureis eo ipso die, quo sunt doctoris gradum adepti, haud invita ornavi: filiabus torquibus aureis, horologio aureo filio dedi. Propinquos deinde et amici et nobiles viros ad optimam quamque cauponam cenatum invitavi. Negotiis curisque dilatis aut praetermissis, in universitatem contendere, dissertationis disputationi adfui, prima sum liberis gratulata, quia mihi nihil, ne messes quidem et frumenta, est potius, nihil liberis carius, nihil dulcius et praestantius. Cum autem essent amplissimis donis digni, consului, ut doctissimus professor dissertationes conficeret. Plurimi mihi unaquaque stetit dissertatio”. Agricola quidam: “Pessime egisti, ait, quoniam haec mihi praemia minime videntur: tu enim filiorum segnitiam, pigritiam aluisti. Tuis ex verbis, ni fallor, comperio filios tuos ad dissertationes exarandas, ad vestigationes faciendas, ad argumenta exquirenda nec idoneos nec aptos ipsa duxisti. Sub falsa doni specie filiorum imperitiam celas et inscitiam”. Pater insuper “Filius meus, ait, suis ipsius manibus dissertationem confecit. Quam multas noctes vigilavit, quam multos libros legit, quam multas paginas scripsit, quantum doctrinae quantumque eruditionis sibi comparavit. Doctam et laboriosam dissertationem cum professor tum viri doctoris dignitati tribuendae magnis affecerunt laudibus. Nunc de iisdem rebus, professoris hortatu, est librum conscripturus. Ceterum

neptis tua, minime ad dissertationem comparandam atque exarandam idonea, filium meum oravit et obsecravit, ut sibi auxilio veniret”. Socrus, iram coercens, primum tacuit, tum fastidium in patrem evomens, “Liberi mei, ait, publici professores sunt. Si filius tuus, studiis confectis, tam doctus, tam eruditus, tam peritus evasisset, domestici professoris munere vitato, divitum servus non esset”. Pater, ut altercationem vitaret, simulans quasdam esse sibi res conficiendas, abiit. Nihilominus quidam conviva ex illa quaesivit: “Nonne filius eius, quem nihili facis, tuus est gener?”. Socrus nihil respondit, omnia fercula a matre composita et porrecta nec tangere nec gustare voluit, sed filium et nepotem iussit cibos ante canes eicere. Dum mater, cum videret potissimas suis partes humi iacentes, vix a lacrimis temperat, pater “Canes quoque, qui suem a periculis servaverunt, haud secus ac nos optima sunt carne digni”. Socrus silentium tenuit, donec in media cena, stupentibus omnibus, surgit et abiit. Parentibus, qui usque ad finem retinere conabantur, significavit quasdam esse sibi occupationes absolvendas. Convivae, tranquilliores facti, ab imo pectore suspirium duxerunt.

LVCIVS. Quid dixerit, quam graviter excanduerit, quali irae indulserit socrus nec non uxor, intellegere et cogitatione comprehendere possum.

VINICIVS. In autocinetis silentium grave, difficile, funereus fuit. Uxoris spiritus acrius concitatur, donec matercula “In quos et quales homines, ait, es me ducere ausa! Nesciebam tam rudes et rusticos adhuc homines exstare! Tu contra, nobili loco nata, ad me tam rudem generum duxisti. Me, nobilem ac divitem mulierem, agricolae sunt iniuriis afficere ausi! Te pudeat, filia, quia es tam incultae familiae coniuncta. Iurgiosa tantum et contumeliosa verba in me socer tuus dixit. Quid dixissent agricolae, ipsa audisti! Illi miseri me nobilem, eandemque divitem, esse ignorant; me numquam in agris, ne adversis quidem tempestatibus, fuisse nesciunt. Rusticum et infelicem illum hominem innumeros apud me fuisse servos tu non docuisti! Tu, filia, infelicis et miseri agricolae serva es!”. Filia, matris iram cohibens, “Bono, matercula, sis animo. Posthac, soceri verbis auditis, numquam domum illam petam. Soceri mei, agricolae admodum rustici, sunt nostra consuetudine indigni, quamvis omnia fecissent, ut filius doctoris dignitatem adipisceret atque optimus esset professor. Scio me maritum rusticum legisse, et doleo; me huius rei frustra paenitet. Me tamen non fugit qua voracitate matris cibos consumpsisset, tuos contra quam stomachosus comedisset”. Mihi insuper uxor “Si nobilis, inquit, cupis esse vir, tam rusticos parentes vita, amplius ventitare noli. Si tantum dicere audeas te ad illos visendos contendere velle, te ex amplissimis matris aedibus statim eieciam. Filius noster parentum tuorum casam numquam ventitabit”. “Sed domum sua impensa pater exstruxit, mihi hereditate dedit”, sum respondere ausus. “Ubi matercula habitat, domus materculae habenda!”, dixit irata uxor. “Matercula mea, non

pater tuus domum illam nobilem et divitem facit! De hoc alias, ne materculae animus ineptiis tuis amplius contristetur. Et ipsa sum insania tua contristata, quia in me insanus et rusticus fuisti”.

FABIVS. In uxoris tuae pectore deest amor, pietas, reverentia; humanitate caret, nescit undenam veniant cibi, quos una cum matercula ingrata edit. Agricoliarum filios, in agris et in gregibus altos, nobilium multo intellegentiores esse penitus ignorat. Quae fortasse noscunt et dolent, acerbè cruciantur.

LVCIVS. Nulla umquam socrus domum filiae domitae et verentis reliquit, quia apud generum tardum atque officiosum optime manet. Ibi suum invenit regnum, impotentiam et ferocitatem exercet. Ibi omnes, imperio subiecti, eam adorant ac venerantur.

VINICIVS. Recte dixisti. Socrus mea, mi Fabi, tua multo peius fuit: nam querimoniis et questibus filiam cottidie cogit, ut domum deseret, mihi repudium mittat. Male sit foedissimae illi mulierculae! Lucifer in inferis aeternis suppliciis cruciet, mactet!

LVCIVS. Nihilominus uxorem adhuc amas. Felicem virum, qui optimam invenit uxorem!

FABIVS. Matre absente, mea optima fuit uxor: in me officiosa, indulgens, benevola, quamvis matri devincta, subiecta, subdita. Vitam nostram nullum iurgium turbavit, quia concordia maxima, nulla fuit diffidentia. Felix fui, fuimus felices. Utinam illa mulier paucos post matrimonii dies periisset! Mihi Deus ignoscat, si taeterrimae illi mulierculae imo ex corde male precor. Socrus, ut scitis, nihil pietatis in generum, nihil caritatis in corde servavit, quamvis omnibus diebus in ecclesiam contenderet, Missae sacrificio interesset, Christum quoque sub panis specie accipere auderet. Nescis, mi Luci, quid inter divinum sacrificium fecerit vel dixerit. Nihil precis fundit, nihil de morte, nihil di caritate, nihil de vita aeterna meditatut; immo cum aliis mulierculis non solum generum eiusque parentes criminatur, sed de Christo quoque, de sacerdote, de sanctis, de pontifice ipso contumeliose dicit. Ne Deus quidem maledicum eius dentem vitat. Super socrus lingua non panis, sed carbo candens, vivus ignis, qui tam infestam mulierculam devoret ac debeat, est a sacerdote ponendus! Merito igitur omnes eius generis mulieres vulgo sancticulae contemptim appellantur.

VINICIVS. Cur te felicem fuisse dicis? Mirum videtur hominem, eumque repudio contristatum, uxoris desiderio laborare. Quid reapse sit libertas, nescis. Numquam fortasse homo fuisti liber.

FABIVS. Perraro fit, ut puella optimis sit moribus imbuta. Uxor fuit. Una sane inter omnes pagi civitatisque mulieres sana fuit mente praedita, in omnibus tempestatibus prudens, sui compos, acris rerum curatrix. Difficultates, aerumnas, angustias, optimi quoque filii mortem magna cum

animi aequitate superavit. Quod tum fere multis fuit in ore: matrem tam constanter, tam sapienter, tam moderate filii mortem tulisse, pietate et amore marito adfuisse; fortem mulierem, animo virili praeditam, mihi fato datam. Nihilominus ita matri devincta atque subiecta erat, ut quodam die uno pedestans domum reliquerit, a me necopinato discesserit, repudium mihi, matre hortante, miserit. Nesciebam infelix illam altero homini iamdiu devinctam. Quid illa tempestate vocitatum sit, neminem vestrum latet. Uxore amissa, quae libertas mihi contingit? Fatum mihi flendi tantum dedit libertas.

VINICIUS. Tu quoque, unus e multis, mi Fabi, uxorem adhuc amas. Ideo labentibus annis uxoris indolem, uxoris mentem, uxoris animum in dies modo pulchriorem modo taeteriorem facis: multis uxoris vitiis ex animo delapsis, perpaucae virtutes in dies rariores, potiores, cariores fiunt. Ita fit, mi Fabi. Ita est.

LVCIVS. In terris, mea sententia, nullus est homo, qui mulieris animum vestiget, secreta cognoscat, consilia detegat. Tam in secundis quam in adversis rebus mulieres sunt ad simulandum ac dissimulandum paratae, numquam verum dicunt, mendacium plerumque in promptu habent. Cum autem mulieres iactent se perspicaces et acutas esse, perpaucae tamen exstant, quae his donis praeditae videantur. Mulier contra perspicax et acuta est ad discendum, ad mariti consilia ac desideria satisfacienda semper prompta, semper parata. Illa felix est familia, in qua uter coniunx alterius voluptatibus, consiliis, optatis satisfacere cupit. Coniuges, superbia et audacia deposita, felices sunt.

VINICIUS. Vix credibile dicis. Ubinam hanc inveneris familiam, aperias precamur.

LVCIVS. Complures exstant familiae, in quibus coniuges concorditer vivunt, in quibus alter alteri humane subvenit, ignoscit, si quid mali acciderit, vel alteruter in aliquem inciderit errorem. Ecce adest Simplicius, qui, amplissimo genere ortus, optimam mulierem, humillimo loco natam, domum uxorem ducere, parentibus invitis, non dubitavit. Ex eo, cum doctus sit atque eruditus, quaeramus oportet, quomodo socrus uxorisque indolem toleret, mulierum concordiam servet, sit liberis contentus.

VINICIUS. Tempore venis, mi Simplici. Deus et Beata Virgo te tuosque salvos faxint.

SIMPLICIUS. Vos quoque, amici, non solum corporibus sed animis etiam Deus et omnes sancti salvos faxint.

LVCIVS. Utinam Deus, Virgo Maria et omnes sancti preces nostras audiant atque animi tranquillitate frui possimus. Recte dixisti nos corporibus validos, animis esse aegrotos.

SIMPLICIUS. Homines stulti sunt, multo feris peiores; per stultitiam vitam infelicem degunt, stultitia sibi infelicitatem comparant. Errant, quia nesciunt;

prima quoque vitae elementa, eademque necessaria, penitus ignorant. Ipse, contra omnium opinionem, contra opinionem vestram, felix non sum, sed felix esse conor; curo, ut nullus dolor animum excruciat, familiam turbet. Contra adversas res cotidie acrem pugnam consero. Victorne evadam an non, nescio; sed acriter pugno. Hostes profligati, devicti, fusi per agros, iterum animosi erumpunt, impetum faciunt, pugnam renovant. Vivere homini honesto difficile, difficilius cum uxore vitam agere, difficillimum domi socrum accipere ac tolerare, longe denique difficillimum est aequum et iutum liberos docere. Nisi haec cotidie mediteris, minima quoque animum excruciant. His in agris, hoc in pago, in proxima civitate nemo felicitatem adipiscitur, nemo felix est. Cotide ipse mediocritatem quaero, diligo mediocritatem. Auream hanc virtutem pauci noscunt, perpauci sequuntur, nullus prorsus homo quaerit atque exercet. Quis mediocritati hac aetate parat, sibi comparat, proximos docet? Omnes plura cupiunt, plerumque immoderata. Ideo unusquisque sibi aerumnarum causa est. Unusquisque vestrum, cum hoc nesciat, falso queritur, immo putat alios non ipsum in se peccare, alios aerumnarum suarum esse causam.

LVCIVS. Durus sermo tuus est, nimis difficilis. Nos, rudes et indocti agricolae, nescimus quidem utrum gallus ovum pariat an non. Fortunatus fuisti, mi Simplici, quia pater te, ut multa disceres, in optimum ludum duxit. Callidus et prudens et sapiens fuit: cum te optimis imbueret rebus, omnia sua bene collocavit. Nullus thesaurus est doctrina atque eruditione potior, maior, gravior.

SIMPLICIVS. Parentes vestri, amici, patre locupletiores, minus cauti, minus praevidentes fuerunt. Nam divitiis elati, in omnes, in divites quoque, superbi, arrogantes, inhumani erant. Patre hortante, ut vos in ludum ducerent, verba et consilia irridebant: filios esse ruri manendos, ne vitia illo loco sibi compararent; ludi nummos grandi fenore dandos, in praediis agris ovibus ponendos. Quae omnia, mihi patrique vilia ac spernenda, parentes vestri maximi semper duxerunt, ut agros et animalia liberorum eruditione maluerint. Haec sunt malorum vestrorum causa.

VINICIVS. Recte dixisti, sed parum honestum fuit iudicium. Tunc temporis enim nullus agricola, nullus civis, ne primores quidem in hoc pago in ludum liberos ducere solebant. Quorum filii, qui agris colendis et animalibus curandis operam dant, hodie mihi saltem felices videntur.

SIMPLICIVS. Specie tantum felices videntur, reapse omnium infelicissimi sunt. Apud uniuscuiusque domum bella exardescunt, discordiae excandescunt, odia inveterascunt. Isti miselli felices esse simulant, alios decipiunt. Sed frontes et vultus mentiuntur. Quorum hominum nullus quidem secum quaerit, quam de causa infelix sit, infelicem alterum faciat.

LVCIVS. Tu, mi Simplici, cum doctus sis atque eruditus, dic, quaesumus, cur coniuges tam infelices sint, ut se paucos post dies matrimonii coniugiique paeniteat. Nos quoque, ut profecto scis, earundem rerum paenitet et taedet. Tu contra tam matrimonio quam coniugio contentus videris, immo tam contentus es, ut nos felicitati tuae atque animi tranquillitati invidemus. Ubinam tantam fortunam inveneris, nobis aperias, precamur, ut liberos nostros doceamus, ne uxores temere atque inconsulte eligant domumque ducant.

SIMPLICIVS. Matrimonium, etsi iucundum et pulchrum videtur, omnium malorum est pessimum, nisi iuvenes, qui una vivere statuerint, sint ad damna subeunda, nisi cum ad secunda tum adversa toleranda parati atque idonei sint. A prima pueritia iis, qui matrimonium contrahere cupiant, multa sunt discenda, in quibus prudentia praesertim et silentium. Haud fortuito patientiam et tolerantiam omisi: nam quibus carentibus nullus hominum convictus, nulla societas, nulla consociatio exstat. Quas quidem virtutes pauci noscunt, perpauca exercent, nullus fere colit. Plerique homines, pleraeque maxime mulieres se nec patientes nec tolerantes esse iactant: quas virtutes stultos tantum et rudes colere praecipuasque ducere. Haec cogitantes superbia premuntur, arrogantiae et audaciae serviunt.

FABIVS. Ita est; sed nobis, rudibus et indoctis bubulcis, arduus et durus es philosophus. Imperturbabilis es sapiens.

LVCIVS. Quibus exactis, homo procul dubio perfectus est. Verumtamen ex hominibus si quis haec omnia colat atque exercent, verumne habeatur homo? Quae mulier hac praesertim aetate se erravisse profitetur? Neminem invenies, qui sine rubore veniam petat, se peccatorem dicat.

SIMPLICIVS. Vera dixisti. Sed haec rudes tantum cogitant, indocti dictitant. Qui animalium more vivunt, quid hominum societas sit, quid communitas, quid humani generis consociatio, quid maritale sit coniugium ignorant. Exculti quoque viri, qui sunt doctoris dignitatem adepti, de his rebus eadem fere ac rudes sentiunt. Talia ac similia cogitantes commodis, emolumentis, lucris aggregantur. Quibus carentibus, discordiae excandescunt, bella intestina hominum animos laniant. Bellorum causa, ut scimus, mulieres inveniunt, in mulieribus inveniuntur.

LVCIVS. Mulier enim, cum eandem ac hominibus amplam sibi vindicaverit potestatem, est cito tyrannus facta, putat se in nullum errorem incidere, nemini subiectam, omnium rerum domina et rector: omnia, et ea impossibilia, sibi concedenda oportere, quia mulier est. Qua potestate accepta, cum ipsa sui compos amplius non sit, est familiae damno, societati aerumnae facta.

SIMPLICIVS. De istis misellis, qui ferarum more vivunt, de istis mulierculis, quae per recentiores leges nullum fere commodum sibi comparaverint, longus

est sermo, nullum hac tempestate verbum fit. Hic vero invitus ad illud revertor argumentum, quod animos vestros cruciat. Cum autem ex me quaesieritis, quid de matrimonio, quid de coniugio, quid de uxoribus eligendis, quid de maritis sentiam, brevibus exponam. Matrimonium infelix est, quoniam coniuges non amore, non mutua benevolentia, non mutuo et flagranti incenduntur studio et amore. Inde coniugium tempore infeliciorem utrique facit vitam. Matrimonium contra tranquillitatis et gaudii fons est mihi, quia domum uxorem, non ingens patrimonium duxi. Vos contra, uti constat, una cum uxoribus, magna patrimonia duxistis: vos enim, parentibus suadentibus, primum oculos tum mentes in divitias ante quam in uxores convertistis. Unusquisque vestrum, ut ipse vidi, matrimonium celebravit post quam erant boves, pecora, iumenta, equos, dotem et agros per scribam publicum domum translata. Rerum translatio nec amorem erga mulierem nec studium umquam movit vel generavit. Res, cum natura caducae sint, amorem, qui aeternus et immortalis putatur, nullo modo generare, interdum favere potest. Illae maximum apud homines rectos studium tantum et reverentiam conciliant. Divitiae sunt semper a sapiente damnatae, quia serius ocius discordias parant et aerumnas.

LVCIVS. Ad bene vivendum, quod te minime latet, homini divitiis opus est. Nam omnium malorum pessimum est paupertas. Nemo paupertatem diligit, vel liberis praescribit vel fovet. Omnes paupertatem fugiunt, damnant, vituperant. Quid, tua sententia, divitiis et vita beata potius, optabilius, cupidius? Hominem infelicem uxor, mi Simplici, non divitiae faciunt. Divitiae enim spem alunt, commoda praebent, immo commodiori vitae necessaria suppeditant. Nos vero, qui divites sumus, hac in taberna manere, chartulis ludere, vinum bibere, mulieres conspicere et pertractare possumus. Nummis carentibus, quis nostrum ludum in hanc tabernam venerit? Divitiis deficientibus, ubinam tam bonum vinum biberit, tam pulchras et formosas puellas viderit, tetigerit, cupierit domumque clam duxerit? Tu quoque, divitiis amissis, infelix, miser, pauper eris. Ne doctrina quidem et eruditio te virum beatum facient. Hoc te, mi Simplici, hortor, ut sine divitiis, quae beatum et felicem faciunt, unum tantum diem vivas.

SIMPLICIVS. Non omnia sunt recta ducenda. Cum optima mihi uxor optimique sint liberi, nullo sum timore affectus, ne in paupertatem incidam. Hoc tamen scitote: uxorem et liberos maximos mihi et amplissimos esse thesauros. Quod domi fit, quia amor, mutua benevolentia, mutua societas nos tenet. Sollemnibus nuptiarum celebratis, domum uxore ducta, cum una ex illo tempore et nova sit familia, coniugum neuter est altero potior, superior, maior. Domus mea pura est, istis malis aliena, quia nos coniuges iisdem beneficiis iisdemque fruimur muneribus et officiis. Maritus et uxor inter se, nostra sententia, quamvis natura dissimiles dissimilibusque sint praediti muneribus,

pares sunt. Nam in libera re publica eodem fruuntur iure. Ceterum familia parva sed praecipua publica est res, in qua leges et iura potissimum locum obtinent, maximum imperium detinent. Socrus quoque his legibus, his moribus, his institutis obtemperat, concordiam nostram verbis et exemplis firmat favetque. Me quoque, si postulet res et in quem inciderim errorem, magno cum amore, amxima cum auctoritate et benevolentia reprehendit, hortatur, monet, ne in posterum, si mihi adhuc familiae concordia cordi sit, illa vitem vitia, quae sunt uxori contumeliae, familiae ignominiae, mihi infamiae, liberis dedecori. Cuius sapientia captus, auctoritate coercitus, mei familiaeque amore devinctus, omnes oro, ut mihi ignoscant. A liberis quoque, qui futuri sunt huius rei publicae cives, veniam peto, ut bonos et honestos colant mores, ea omnia sibi comparent, quorum auxilio optimi sint mariti, optimi sint cives. Quis vestrum, quaeso, ab uxore, a liberis, ab amicis veniam petere audeat?

VINICIVS. Ipse, mea sententia, numquam erravi, numquam errabo, ideo nulla est mihi venia petenda. Nullum unquam hominem, ni fallor, contumelia affeci, quia solus plerumque vitam in agris duco. Nihil vel in Deum vel in sanctos vel in homines impie commisi. Snctum me quoque esse puto.

SIMPLICIVS. Ita non est, mi Vinici, crede mihi. Si mihi credere non vis, doctis tamen viris aures praebeas, precor. Omnes homines, iusti quoque, errore et imprudentia peccant. Sed Deus, summus rerum omnium artifex, unum hominen rationis participem fecit; ex animalibus unum hominen ratione donavit, ne ventri servus esset, ne sicut cetera animalia viveret. Hominem unum libero donavit arbitrio, quo usus mala vitaret.

VINICIVS. Ineptias dicis, mi Simplici. Philosophia, doctrina, eruditio infelicissimum faciunt hominem. Ad mea tamen revertor incommoda, quia pace et tranquillitate domestica careo; quia uxor et socrus, societate facta, animum torquent, contumeliis et iurgiis omnes vitae dies exulcerant, gaudium aegritudine contaminant, vitam insuavem reddunt. Diem illum, quo est ad me mulier illa producta, execror; illum insuper hominem, qui me est hortatus, ut mulierem illam domum ducerem, diris funebribus contingo.

SIMPLICIVS. Nec diem, nec virum illum, nec uxorem, sed te funebribus diris contingas oportet. Tu, mi Vinici, non es amore, sed cupiditate tantum et voluptate ductus. Mulierem illam uxorem duxisti, quia pulchra erat et formosa et ditissima. Cuius corpore captus et divitiis, cetera pro nihilo duxisti. Puella, quae senibus sinum nunc ostendit et molliter incedit, uxor tua esse potuit: et illa pulchra est et formosa, sed dives non est. Quanta cupiditate illam inspicias, neminem nostrum fugit. Immo putas illam quoque nummis emere potes. Sed illius mulieris brevi tantum temporis spatium corpus non animum mercaris. Dum corpus delicias praebere simulat, animus te odio afficit, te omnibus prosequitur malis, quia paupertate usus delicias capis.

LVCIVS. Quid mali, si pulchrae puellae animum alliciunt? Data facultate, nonne puellam illam domum ducas voluptatibusque satisfacias? Tu quoque, mi Simplici, homo es; tu quoque, nisi sanctus sis vir, corporis voluptatibus et deliciis satisfacias oportet.

SIMPLICIVS. Tu nullam mulierem amas, quia amare nescis. Tu, ut plerique homines, corporis delicias et voluptates amorem esse putas. Ideo tristem et aerumnosam vitam ducis. Tu solus es, te nullus homo quaerit, nullus ad te venit amicus. Infelix es, quoniam nullus est vir, qui animum tuum solari possit, nisi efficias, ut necessarii tui, odiis et simultatibus amissis, contubernium tuum accipiant, coniugium quaerat uxor, necessitudinem reliqui cupiant. Haud facilis est via, quam rubus et sentis difficiliorem faciunt. Difficilis est ascensus, arduus, durus; interdum is est, ut peragrarare nullus fere possit homo. Iter, si ad exitum pervenire cupias, hoc est incipiendum more: primum nosce te ipsum, tum reconcilia te tibi, bona denique fide cum necessariis tuis in gratias redeas oportet. Quod perfeceris, si cotidie, venientibus tenebris, inquiras, quid in te contra legem, quid contra coniugem, contra coniugii mores tibi sit actum. Constat enim, matrimonio celebrato, utriusque libertatem minuere, nisi alter vero cum amore, maximo cum amore accipiatur. Ceterum maritus uxoris, uxor mariti libertatem minuit et finit. Quo fit, ut uterque uno eodemque tempore iisdem uti rebus fruique nequeat. Quae coniugibus nescientibus atque ignorantibus, iurgium excandescit, ira fragrat, discordia imperat. Brevi uxor invisat, liberi scelesti, socrus infamis fit, quia suum detinet locum. Ubi vero quid de ipsis cogites ac sentias necessarii tui noscant atque experiantur, te statim odio afficiunt, vitam infelicissimam reddunt.

LVCIVS. Postremum assertum, cum falsum sit nullumque praebeat auxilium, quo maritus inter coniugium felicior sit, precise his de causis nego: primum ipse, cum in nullum incidam errorem, nescio qua de causa mihi sit inquirendum utrum erraverim an facinus aliquod patrauerim. Quibus facientibus, tempus amittitur. Mihi deinde, si in errorem inciderim, quod minime fieri potuit vel potest, neque ab uxore, neque a liberis, neque a quovis homine est venia petenda. Tum error, si forte in hominum societate exstet, est natura hominis patrimonium. Ideo si homo erret, nulla est venia petenda, quoniam inscius et invitus in errorem incidit. Postrema denique causa omnium est longe potissima, quoniam homo tantum est ratione, vi, ingenio, auctoritate praeditus. Uxor contra, cum ratione et ingenio careat, ea est natura, ut marito serviat, sit mariti imperio subiecta, nihil marito invito faciat. Nam matrimonio celebrato, mulier est marito subiecta, mariti fit res, quoniam est animal, idemque irrationale. Deus quoque, ni fallor, mulierem fecit, ut homini serviat, homini satisfaciat, mariti iussibus obtemperet. Dei praeceptis ne summus quidem pontifex obstare potest.

SIMPLICIVS. Si, tua sententia, ita sunt res, quamvis tibi natura hominis figuram dederit, ne homo quidem videris, quia illis cares facultatibus, quae feris superiorem faciunt hominem. Ideo non est quod dicas uxorem et socrum tibi aerumnarum et infelicitatis esse causas; immo est rectius dicendum arrogantiam tuam tibi omnium malorum esse fontem atque originem. Natura, si Deum e mundo tollere velis, felices homines fecit; sed isti miselli, inscii atque inviti, sibi malorum causa sunt. Quod mulier, ut est nuper haud recte dictum, cerebro et ingenio careat, nec doctor umquam nec peritus vir est affirmare ausus vel audet: nam si quis haec affirmet, neget naturam aequam ac iustam fuisse. Sed natura, maximum Dei opus, neutrum altero vel maiorem vel praestantiorum vel fortiorum fecit, quia utrumque iisdem donis iisdemque muneribus ornavit. Ideo neuter summi artificis voluntate alterius nec dominus nec servus est. Immo, ut e sacris litteris et a philosophis accepimus, alterum Deus fecit, ut alteri auxilio esset. Ideo uterque liber est. Nihilominus contraria fiunt, quoniam homines in errores rapiuntur nec vera semper cernunt. Nonnullis opinionibus fisi, quas per lusum et iocum, ad ineptos decipiendos, quidam cavillatores coram rudibus et indoctis dictitant, isti miselli reapse mulierem cerebro et ingenio carere credunt: sibi enim persuasum habent se, cum mulieri corporis viribus praestare, vim uxori et manus liberis impunitè afferre posse; sibi denique in uxores et liberos esse vitae necisque potestatem. Qua quidem de causa haud pauci mariti, cum dominos se esse putent et tyrannos, in uxores et in liberos vim dhibere non dubitant. Isti homunculi sunt feris peiores, quoniam haud raro vino madent, cervisia incalescunt. Sordes, illiberalitas et rusticitas una cum arrogantia, insolentia et ferocia uxoris liberorumque animos contristant, vitam in dies molestiorem sibi faciunt. Matrimonio celebrato, apud unamquamque familiam neuter dominus, neuter servus; immo uterque dominus, servus uterque, quia unusquisque sibi munus a natura datum servat, unusquisque iisdem fruitur muneribus, unusquisque agris colendis, utilibus comparandis animalibusque custodiendis pro suis viribus operam dat. Quibus in familiis omnia ex communi quadam hominum opinione dicunt, agunt, faciunt; omnia uterque in partem optimam accipit. Familia vero, quae hos sequitur mores, plures opinione vestra sunt. Quas nemo conspicit, quia dignitatem suam defendunt, unitatem colunt, nullam rumoris causam circulatoribus praebent. Quas hic exstare et naturae civiumque legibus obtemperare admodum pauci sciunt et noscunt. Brevis est vita, facinorum rumor brevior, bonum nomen longius, quod haud raro praeter vitam manet, hominem imitatione dignum facit.

LVCIVS. Laetus et felix es, has ineptias dicere potes, quia tibi optima contigit uxor, optima socrus, optimi liberi. Filios omitto, quos pessimi comites et amici, parentum consiliis spretis, omnibus notis et ignominiiis confecerunt: quos enim alius vini dulcedinem, alius tabaci oblectamentum,

alius ludi delectationem, alius medicamina stupefactiva docuit. Callidae insuper mulierculae, in hac quidem taberna simulantes se misellis illis, vino madentibus et quibusdam herbis sucisque torpentibus, libidinosas voluptates ministraturas, quantam nummum vim abstulerint, nescis, penitus ignoras. Cetera in alea perdiderunt. Nunc domi sunt, morbo quodam corrupti ac depravati, amentes huc illuc se conferunt. Filiae quoque, aerumarum ac dolorum causa, omnes, me miserum!, sunt corruptum matris exemplum secutae.

SIMPLICIVS. Omnium malorum longe pessimum et taeterrimum est filiorum corruptio ac pravitas. Miseria atque infelicitate tua valde doleo. Omnia nesciebam, omnia penitus ignorabam, quoniam vulgi rumores vito, haud invitus fugio. Patri enim, ut a parentibus accepi et ipse sum expertus, nihil est filiis vel dulcius vel carius vel potius. Qui, nullo domi exemplo invento, aequales, eosdemque peiores, aemulantur. Isti iuvenes, aevi futuri spes, suis ipsorum manibus corporibus pestem, animis labem, societati aerumnas apportant: illos enim, taeterrimorum exempla secutos, recentia, eademque exitiosa, vitia atque elementa labefactant. Novis excandescens moribus, illi tantum iuvenes, quos ut agnos validis saeptis parentes a lupis protegunt ac defendunt, obsistunt, acriter pugnant, ne corrumpantur. Filii enim, flores teneri et molles, sunt sub grata arborum umbra, in horto aprico, in agris virentibus colendi, custodiendi, erudiendi. Pueri parentum praesertim amore indigent. Iuvenes ab aequalibus corrumpuntur, quia domi nullum inveniunt amorem, corporum sensuumque voluptate gignuntur, frigide accipiuntur, putide et infeste educantur, ut hospites et advenae in familiis versantur. Qui vero, cum nullum amorem apud parentes, apud necesarios nullam benevolentiam, nullam caritatem apud propinquos inveniant, ad illos aequales, amicitiae speciem ostentantes, oculos vertunt, animos conferunt, mentes ad eorum pedes deponunt. Cum autem nulla luctandi sibi sit potestas nullaque voluntas, istorum deperditorum voluntarii fiunt servi. Ideo merito verebaris ne consuetudo, quae fortibus et incorruptis iuvenibus constantiam firmat atque auget, tanta mala illis altius figat: nam longa malorum conversatio noxium in animis studium gignit. Illos habitos, quibus nullus est peior, nullus deterior, nullus miserior, haud facile ex animis eradices, nisi vitam, immo vivendi rationem radicitus primum mutes ipse. Inde liberi, exemplo capti et ducti, ad nobilia incepta animos vertunt, student quo meliores aemulentur, meliores fiant ipsi. Malis comitibus vitatis, in parentum gratiam redeunt, felices parentes faciunt, parentum sunt deliciae. Tu vero, divitiis enim earumque incremento captus, filios parum curasti, uxorem quoque neglexisti. Temporibus illis, quibus nec uxor nec liberi neglegendi erant, totum animum, totam mentem modo in boves, modo in agros, modo in pecudes, modo in horrea vertisti, numquam in familiam, numquam in

necessarios, numquam in filios, qui curis, amore, pietate indigebant. Nullum osculum illis in cunis dedisti, numquam es illos amplexatus. Parentes quoque reliquisti, ut postremos senectutis dies miseros agerent et infelices. Quae erant ad vivendum necessaria, foede, atrociter, inhumane abstulisti, ut ne aqua quidem, tuo iussu, in promptu fuerit ipsis.

LVCIVS. Me, Simplici, merito obiurgas, sed nescis quid in me fecerint parentes. Pater, qui bonus omnibus videbatur vir, ne dimidiam quidem rerum partem, quam testibus praesentibus promiserat, matrimonio celebrato, amplius dedit. Mater insuper XXVI boves, XV vitulos et iuencos, XII equos, VII asinos et mulos, nonnullos porcos et innumeras oves noctu abstulit ipsa. Indignam illam mulierem meis ipsius oculis animalia e stabulis educentem vidi, tota nocte flevi. Mater me nolentem et invitum iussit, ut mulierem illam uxorem ducerem. “Si quid hereditatis accipere velis”, inquit, “illam tantum dignam, quam domum ducas, puto. Alia mulier, et ea Hispanorum regina, si forte hanc domum attingat, statim omnique repelletur modo. Quo facto, tu quoque, meo patrisque iussu, nudus ut in hunc mundum venisti, domo abibis”. Quibus auditis, quid facere poteram? Lapis dura, durior mater, durissimus fuit pater, qui socrum meam, matre conscia et foyente, ut aliquot post annos comperi, pellicem habebat. Non dubito, quin maialis ille uxorem quoque, adulescentulam adhuc atque imperitam puellam, ardentem cupierit nonnullasque corporis partes, matre probante, lascive pertractaverit. Quibus de causis uxor et socrus in me nullam umquam reverentiam ostenderunt; utraque, Furiis peiores, crudeles fuerunt et inhumanae.

SIMPLICIVS. Nullo pretio, nullis divitiis, mi Vinici, felicitas emi potest. Si contra putares felicitatem auro vel argento, equo vel bove, agro vel ove consequi posse, reges rerumque moderatores omnes felices, omnium longe felicissimi essent. Sed ex auctoribus accepimus hos omnium longe infelicissimos semper fuisse. Terrarum bona, divitiae, si bene uti scias, sunt profecto ad felicitatem comparandam utilia, sed ipsa felicitas non sunt, nullam umquam felicitatem comparaverunt. Ceterum, cum sollicitudinis curaeque sint fons, nullum umquam hominem felicem fecerunt, nemini felicitatem donaverunt. Ideo maximo tibi incommodo et damno non matrimonium, sed divitiae fuerunt, adhuc sunt ipsae. Quae, etsi nonnullae sunt a matre ablatae, ingentes tamen sunt. Si pauper esses, cum omnia tibi providenda sint ne familia egestate laboret, feliciorem et tranquillioram vitam duceres. Quod uxor tam multos boves, tam multos agros, tam multas oves secum ducebat, illam una cum dote felicitatem quoque secum ferre stultus putabas. Cum autem puella, sumptuosis aedibus exstructis, tam multa animalia secum in stabula duceret, hoc unum te fugit: uxorem dotatam omnium esse pessimum tyrannum carnificemque socrum. Quibus divitiis captus et caecatus, hoc alterum te fugit: socrum, cum se magnanimam atque in largitionibus effusam

ostenderet, paulatim animum tuum subigere, ut servitutis iugum haud invitus acciperes ac tolerares. Qua miseria sero cognita, insequentibus annis frustra es servile iugum e cervice deicere conatus: nam quo maior uxoris matrisque potestas eo minor tibi libertatis fuit spes. Ideo libertatem illam, quam iuvenis cum animalibus et divitiis commutavisti, hac aetate frustra attingere cupis. Nunc vero et uxoris et socrus et divitiarum servus es. Quod malum, nisi omnia reicias et in silvarum montiumque solitudinem secedas, vitare nequis.

VINICIVS. Tota vita igitur miser et infelix futurus. Sic rebus stantibus nihil restat, nisi me vita privem ipsum. Dictu pudeat. Moriar, ne tantos luctus, ne tantos maerore amplius unus tolerem. Tanto ac tam impari certamine lassus atque exanimatus, mortem adeptus, pacem tandem inveniam et quietem. Quies scilicet et pax nullo terrarum loco, ne in silvis quidem et in montibus, quaeri et inveniri possunt. Homines caelum, non mores mutant. Ideo ubi domum redeam, omnibus insciis, laqueum comparabo, ut huic vitae finem faciam. Nihil laqueo celerius, nihil facilius. Morti et ipse natus sum. Nullus est, crede mihi, qui me mortuum lacrimis obruat. Immo domi nullus est, qui me mortuum esse putet vel credat. In inferis saltem, si quid adhuc post mortem maneat vel exstet, felicius ero et beatior. Illic, ni memoria fallor, miseros filios non videbo, uxorem et socrum non audiam. Omnes, qui me infelicem fecerunt, funebribus diris moriens contingam; in matris quoque patrisque capita caelestium iras detestabor.

SIMPLICIVS. Quies, quam tu sollicitus quaeris, haud a te longe abest. Pax quoque, quam anxius insectaris, si tantum velis, tua ipsius manu contingere poteris, quoniam in te est: exspectat enim, ut miseriis et aerumnis solvas, in lucem proferas, quod doceat audias atque observes. Animi tui medicus es unus; aerumnis et doloribus tuis unus mederi potes. Nullus medicus praeter te illis morbis medetur vel mederi potest. Incepto opus est, mi Vinici, non morte, quam in rebus adversis frustra verbis vocas, quia tu vitam reapse, nec immerito, diligis: nam ut in omnibus hominibus maximus in te vitae ardor est, maximum studium. Si reapse vivere vis, si reapse omnibus frui deliciis, quas vita una cum aerumnis praebet, omnes adamare incipias oportet. Amor unus est ad vitam necessarius, cetera, cum supervacanea sint omnia, sunt inania dicenda ac ducenda. Solem e mundo tollunt, qui amorem ex hominum vita demunt. Nam amore perfusus atque elatus, homo gravissimas quoque aerumnas et iniurias tolerat. Quae, incredibile dictu, gaudium aliquod parant et laetitiam, vitam iucundam faciunt. Quas adeptus, per aerumnas quoque et dolores amplissimam felicitatem adipisceris. Hoc tamen scito: in pago, in proxima urbe, in universo terrarum orbe nullum invenies virum te feliciorem, ampliore gaudio vitae casus tolerantem. Quae omnia tibi contingunt, quae omnia facile perficis, si tantum adamare incipias. Difficillimum tamen est initium. Quo incepto et perfecto, optimos viros, quos sanctos appellamus,

vestigiis consequi potes. Te, mi Vinici et vos omnes, qui de naturae malignitate querimini, ad tantum inceptum Deus destinavit. Quod salutare iter ingressi, vobis uxores gaudio, liberi laetitiae, socrus festivitati sunt. In multam noctem dialogum produximus et caupo iratus, quia nihil vini sumpsimus, nos e taberna, cum sciat nos ad frigus vitandum pluviamque fugiendam huc convenisse, everriculo merito deiciet. Mihi abeundum est, quia uxor sollicitudine afficitur, turbatur socrus, liberi laborant. Deus et omnes paradisi sancti vos necessariosque salvos faxint.

MARCVS. Te quoque tuosque Deus et Virgo Maria protegant, salvos incolumesque faxint. Cum autem optimus abierit amicus, est nobis quoque exeundum, nisi cauponis iram experiri velimus. Hoc unum nos amicus et magister ille docuit: posthac, si quadam felicitate frui cupiamus, nobis esse mores mutandos, contumelias et iurgia vitanda, divitias pro nihilo habendas. Nos tota vita erravimus, felicitatem huc illuc frustra quaesivimus, sumus frustra capere conati.

FABIVS. Ante quam ex hoc loco discedamus, Simplicii exemplum ac doctrinam secuti, non promittamus sed Deum Christumque crucifixum obtestemur oportet nos posthac, quamvis nulla sit potestas, ut mulierum animos deflectemus, mores nostros radicitus renovaturos, spe fore, ut uxores quoque et socrus mores et consilia mutant vel saltem mutare conentur. Unusquisque nostrum, non amore sed divitiis captus et coactus, invitus domum uxorem duxit, liberos saltem doceamus quomodo sint uxores eligendae, quo pacto optimam quamque puellam, pauperem et miseram, sibi amore iungant. Amicitia denique hoc taeterrimo loco renovata, unusquisque nostrum iuret se in nullam amplius tabernam ingressurum, vinum domi patrum more cum necessariis amicisve sumpturum, iuxta naturam uxorem amatuum, pauperibus et indigentibus pro copiis et facultatibus suis auxilio subventurum, in nullas mulierculas, formosas quidem et paratas ad corpora nummis devendenda, oculos amplius versurum.

MARCVS. Non haec omnia, sed amorem tantum et caritatem in proximum Deus requirit. Quod nisi ita sit, cur ergo canimus: "Ubi caritas et amor Deus ibi est?". Nos ipsi, Deo opitulante, amor sumus et caritas, si nempe proximum amamus.

Quibus relatis, mi Tulli, te hortor, ut optimum quod tibi videatur consilium in uxore eligenda sequaris. Haud facile coeptum, sed id est, ut tu quoque, doctrina consilioque fuis, adgredi possis. Tibi, ut olim mihi, multae sunt difficultates superandae, pericula vitanda, illecebra devincenda. Noli, quaeso, formis vel divitiis uxorem eligere, quia fluxa, peritura; primum animum alliciunt, tum tibi taedio, donec odio captus, fugis et alio loco te felicem futurum speras. Solus non eris, si tecum recti bonique conscientia fuerit, si scelera fugeris, mala vitaveris, domum amicis repleveris, indigentibus

subveneris. Malo te tecum unum esse solumque manere quam cum pessima muliere in tam sumptuosis aedibus commorari. Ideo te imo ex corde faustis votis prosequor, ut caveas, ne a pessima muliere decipiaris. Felix esto.